ex præcipuo fundamento, apparebit, an admittendi sit, an reprobanda scientia media.

I. Dico igitur, Deus nec cognoscit, nec cognoscere potest creaturas immediate in se ipsis, seu in se ipsis, ut in medio. Prob. primo ex dictis. Tum quia, si Deus cognosceret creaturas immediate in se ipsis, posset in creaturis, vel ex creaturis cognitis in se ipsis se ipsum cognoscere, cum per illas Deus sufficienter manifestetur, & consequenter habere scientiam a posteriori sui ipsius; quod superius reprobavimus.

Tum quia, etiam, ut supra vidimus, respectu Dei idem est objectum motivum ac terminativum; sed creaturæ, ut diximus, non possunt esse objectum motivum divini intellectus, nec enim possunt eum movere per speciem sui; ergo neque possunt esse objectum immediate terminativum.

II. Probatur secundo. Creaturæ, ut vidimus, non possunt esse objectum terminativum primarium divinæ cognitionis, alioquin specificarent divinam cognitionem, quæ propterea esset primario propter illas; sed si creaturæ immediate in se ipsis terminarent divinam cognitionem, eam terminarent primario; ergo &c. Min. prob. Tum quia cognitio effectus in se ipso, & non in causa, non est cognitio effectus ratione causæ, sed ratione sui, & ideo terminatur immediate, & per se primo ad effectum: sicut cognitio Imperatoris in se ipso, & non in sui imagine primo, & per se terminatur ad imperatorem. Tum etiam, quia cognitio terminata, non primario, & per se ad creaturas, sed ad Deum, est cognitio creaturarum, non in se ipsis, sed in Deo: sicut cognitio per se primo terminata ad causam, & non ad effectum est cognitio effectus, non in se, sed in causa; & cognitio primario terminata ad speculum, & non ad rem, quæ repræsentatur in speculo, est cognitio rei, non in se ipsa, sed in speculo.

III. Dicunt primo, nullum esse absurdum, creaturas extrinsece, & arguitive specificare cognitionem ad se terminatam, etsi divinam, quia ex hoc solum arguitur, quod actus ad se primo terminatus sit specie diversus ab actu per se primo terminato ad aliud.

Sed contra primo. Nam esto objectum specificet potentiam, vel actum solum extrinsece, est tamen causa formalis extrinseca, & a priori illius: quod est actum illum produci cum respectu dependentiæ ab illo tamquam a sua mensura, & norma objectiva, & actum esse propter illud, non autem illud nempe objectum propter actum; unde docet Philosophi, actum dicere respectum transcendentalem ad objectum sui specificativum, objectum autem nullum dicere respectum ad actum, vel potentiam. Hæc autem quis non videt divinæ cognitioni prorsus repugnare? Secundo. D. Thomas 1. contra Gentes c. 48. docet oppositum hoc discursu: *Operatio intellectuali speciem, & nobilitatem habet secundum id, quod est per se, & primo intellectum, cum hoc sit ejus objectum. Si igitur Deus aliud a se intelligeret, quasi per se & primo intellectum, ejus operatio intellectualis speciem, & nobilitatem haberet secundum id, quod est aliud ab ipso. Hoc autem est impossibile: cum sua operatio sit ejus essentia (ut ostensum est) sic igitur impossibile est, quod intellectum a Deo primo, & per se, sit aliud ab ipso.*

IV. Dicunt propterea secundo, creaturas non fore objectum primarium, nec specificativum, etiamsi immediate terminantes divinam cognitionem: non enim omne, quod immediate attingitur, specificat, sed solum illud, quod attingitur immediate primario. Addunt, hoc solum esse, quod ratione sui, nedum terminat, sed etiam movet. Creaturæ autem, etiamsi immediate terminant divinam cognitionem, non sunt tamen motivum, neque ad eam per se movent.

V. Sed contra primo. Creaturæ dum terminant divinam cognitionem, vel eam terminant, ut æque per se ipsas inspectæ, vel ratione divinæ essentiæ per se, & primo terminantis. Si hoc secundum; ergo non terminant immediate in se ipsis; idem enim est terminare ratione alterius ac non terminare ratione sui, & immediate in seipso. Si dicatur primum; ergo ratio formalis, qua creaturæ terminant divinam cognitionem, erit sua intrinseca intelligibilitas, & ratione *hujus* terminabunt, & dabunt speciem divinæ cognitioni.

VI. Contra secundo. Si creaturæ immediate in se ipsis divinam cognitionem terminarent, ad eam etiam immediate moverent, & consequenter essent objectum, nedum terminativum, sed & motivum; ergo essent objectum primarium, & specificativum, quia, ut vidimus ex D. Thom. hac *q.* 14. *art.* 5. *ad* 3. quod ratione sui movet, & est principium cognitionis, illam specificat. Antec. prob. Deus vel movetur a creaturis ad cognoscendas illas in se ipsis, vel solum movetur a sua essentia. Si a creaturis; ergo hæ sunt objectum motivum, ac proinde specificativum. Si solum movetur ab essentia sua; ergo non cognoscit creaturas immediate ratione sui, & in se ipsis, sed ratione essentiæ, & in essentia. Conseq. prob. Nam objectum non cognoscitur, nisi ut repræsentatur per speciem; sed per essentiam divinam non repræsentantur immediate, & per se primo, sed mediate solum, & pro ut in ea continentur; ergo &c.

VII. Confirmo hoc. Deus non cognoscit creaturas immediate in se ipsis, nec ea cognitione, qua cognoscit illas in se ipso, nec alia virtualiter distincta. Non primum, quia cognoscere creaturas in seipso, & in se ipsis, sunt diversi modi, qui eidem cognitioni convenire non possunt, immo oppositi: est enim cognoscere in se ipsis, & ratione sui, & cognoscere non in se ipsis, sed in alio, & ratione alterius. Non secundum; quia si cognitio attingens creaturas in se ipsis virtualiter distingueretur a cognitione attingente illas in Deo, jam talis cognitio unica, & adæquate terminaretur ad creaturas, & nullo modo ad Deum: cumque non esset aliud objectum talem cognitionem specificans, non posset specificari nisi a creaturis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

VIII. PRimo objiciunt. Vis cognoscitiva Dei, utpote infinita, debet cognoscere creaturas omni modo, quo cognoscibiles sunt; sed sunt cognoscibiles, nedum in Deo, sed & in se ipsis; ergo &c.

Confirmatur. Intellectus summe cognoscitivus, & ex se determinatus ad cognoscendum omne verum, potest moveri objective ab objecto, quod reipsa, & intrinsece est verum; sed intellectus divinus est determinatus ad omne verum, & creaturæ sunt intrinsece verum; ergo &c.

IX. Resp. dist. maj. omni modo se tenente ex parte rei cognitæ conc. maj. modo se tenente ex parte medii *in quo*, seu ex parte cognoscentis, subdist. si nullam dicat imperfectionem, conc. maj. si aliquam dicat imperfectionem, nego maj. Deus ergo, ex quo virtutis infinitæ sit in cognoscendo, debet cognoscere creaturas omni modo, quo cognoscibiles sunt ex parte rei cognitæ, idest creaturas omni modo, quo sunt, ita, ut nil cognoscibile sit in eis, quod Deus non penetret. Non tamen debet eas cognoscere omni modo &c. ex parte cognoscentis, seu in omni medio, in quo cognoscibiles sunt, & ex vi illius illas attingere: alias eas deberet attingere, & discursive, & in medio opinativo, cum etiam sic cognoscibiles sint. Debet ergo eas attingere ex parte cognoscentis in, & vi illius medii summam dicentis perfectionem in modo cognoscendi, *Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit, res esse in seipso, sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura, & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso.* Ita D. Thom. hac *q.* 14. *art.* 6. *ad* 1.

X. Ad confirm. respondeo, probare creaturas esse posse, non objectum terminativum, sed etiam motivum: quod tamen plerique adversariorum negant. Dico ergo, intellectum divinum, ex quo est determinatus ad omne verum, & summe cognoscitivus, debere moveri objective immediate a se, non vero ab alio extra se: unde moveri debet a sua essentia, quæ est repræsentativa omnis veri, sicut ipse est determinatus ad cognoscendum omne verum.

XI. Secundo objiciunt. Ex eo, quod Deus cognoscat creaturas immediate in se ipsis, non sequitur, quod ejus cognitio specificetur, & dependeat ab illis; ergo &c. Antec. prob. primo. Si Deus cognosceret creaturas in se ipsis, tamen ad eas cognoscendas non movebitur a creaturis, sed a sua essentia, & solum terminabitur ad illas; sed cognitio specificatur, non ab objecto pure terminativo, sed ab objecto motivo, ut docet S. Thom. hac *q.* 14. *art.* 4. *ad* 3. ergo &c. Secundo. In Deo dantur plures formalitates immediate terminatæ ad creaturas, immo, & primario, quin ab istis specificentur: omnipotentia enim, utpote productiva, immediate, & primario respicit producibile extra Deum, & consequenter creatum; quia nihil divinum est producibile. Idem dicito de Providentia, Justitia, Misericordia &c.

XII. Respondetur negando antec. ad primam probat. nego maj. Supra enim ostendimus, quod creaturæ, si immediate terminarent in se ipsis divinam cognitionem, ad eam etiam moverent. Objectum enim, quod ratione sui non movet divinum intellectum, nec ratione sui cognoscitur, sed in alio, in quo repræsentatur.

Ad secundam nego anteced. Sicut enim nulla divina formalitas potest specificari ab aliquo creato, ita nec potest primario illud respicere, aut ad illud terminari. Neque oppositum evincunt exempla adducta. Omnipotentia enim non distinguitur adhuc virtualiter a divino intellectu: quare, sicut divinus intellectus primario respicit solum ens divinum, ut per se primo cognitum, & ens creatum solum secundario, ita omnipotentia illud respicit, ut rationem se communicandi ad extra. Licet autem formalitas omnipotentiæ reduplicative sumpta solum respiciat creaturas: hæc tamen formalitas solum nominat, ac explicat terminationem secundariam divini intellectus. Idem dico de Providentia, de Justitia, & Misericordia: Justitia enim, & misericordia solum explicant terminationem secundariam divinæ voluntatis.

XIII. Sed instas. Omnipotentia, Justitia &c. immediate terminantur ad creaturas, & tamen illas solum secundario respiciunt; ergo poterit divina cognitio immediate terminari ad creaturas, & illas solum secundario respicere.

Resp. neg. conseq. Et disparitas est: quia cognoscere aliquid solum secundario, est cognoscere illud ratione alterius, prius cogniti, cognoscere autem unum ratione alterius, non est cognoscere illud immediate in se, sed in alio, vel ut causa, vel ut speculo: unde Deum cognoscere creaturas secundario, & illas cognoscere immediate in se, sibi contradicit. At producere aliquid secundario non est producere illud in alio, vel ratione alterius, prius producti, sed illud producere in se, sicut in se existit: & ideo producere unum secundario, & ratione alterius, non est producere unum in alio, sed immediate in se ipso.

Addi potest alia disparitas: quia scientia comparatur ad suum terminum, ut ad sui objectum; omnipotentia autem comparatur ad suum terminum, ut causa ad effectum; diverso autem modo respicit cognitio objectum, & causa effectum: nam causa respicit effectum, ut dans, & communicans illi perfectionem, qua ratione subsistentia divina potest immediate communicari humanitati; at cognitio respicit objectum, quod eam terminat immediate, & ratione sui, tamquam mensuram, & ut accipiens ab illo speciem, & esse in genere causæ formalis extrinsecæ. Et inde est, quod divina cognitio nequit ad aliquid creatum immediate, & ratione sui terminari.

QUÆSTIO IV.

De divisione, & causalitate Scientiæ Divinæ.

EXaminata existentia, essentia, & medio divinæ cognitionis, sive scientiæ, recto ordine transimus ad ejus divisionem, & efficaciam in causando.

DUBIUM I.

De divisione Scientiæ Divinæ in Scientiam Visionis, & Simplicis intelligentiæ.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. CElebris est apud Theologos scientiæ divinæ partitio in scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ. Scientia visionis est, qua Deus cognoscit res existentes. Quia vero, ut statim dicemus, non solum res apud nos existentes, sed & res futuræ, & præteritæ, coram Deo existunt, & sunt præsentes, ideo hac scientia visionis cognoscit Deus se ipsum, & creaturas præsentes, præteritas, & futuras: & hæc scientia visionis coincidit cum notitia intuitiva in nobis. Scientia vero simplicis intelligentiæ est, qua Deus cognoscit res mere possibiles, seu quidditates rerum, quæ abstrahunt ab omni existentia, sive præsenti, sive jam habita, sive habenda: & hæc coincidit cum nostra notitia abstractiva.

II. Scientia visionis, ut terminatur ad Deum, & ad ea, quæ in Deo necessario existunt, est simpliciter necessaria, quia nostro modo concipiendi antevertit omne exercitium divinæ libertatis. Et eadem ratione scientia simplicis intelligentiæ, quatenus respicit pure possibilia, & rerum quidditates, necessaria est. Scientia autem visionis, ut terminatur ad creaturas, est libera absolute, quia intelligimus, eam subsequi exercitium divinæ libertatis: causa enim, quare creaturæ sint præsentes, præteritæ, vel futuræ, est divina voluntas. Dici tamen potest necessaria ex suppositione, quia, cum Deus sit immutabilis, id, quod Deus semel libere scivit, non potest non scire. Hæc sufficiat extremis labilis delibasse, præsertim quoad rationem liberi, & necessarii in scientia Dei; inferius enim pro merito tractabuntur: nunc de hac divisione in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ quærimus; an servet conditiones bonæ divisionis.

§. II.

Resolvitur quæstio.

III. DIco. Scientia Dei bene, & adæquate dividitur in scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ. Non certamus hic contra Jesuitas, qui ponunt scientiam mediam. Hanc enim plerique eorum mediate dicunt potius inter liberam, & necessariam, quam inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ. Sed militamus contra quosdam, qui inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ tertiam ponunt, quam vocant scientiam approbationis.

Nostrum assertum docet Divus Thomas hac *quæst.* 14. *art.* 9. dicens: *Quædam licet non sint nunc in actu: tamen, vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjectis sibi præsentialiter. Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creatura, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ.*

Ex his formatur ratio. Omnia, quæ a Deo sciuntur, vel sunt Deo præsentia, vel non: non enim datur medium. Si sunt Deo præsentia; sciuntur scientia visionis. Si non; sciuntur scientia simplicis intelligentiæ; ergo &c. Sicut ergo in nobis divisio notitiæ in intuitivam, & abstractivam est adæquata: ita in Deo divisio scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, quæ huic correspondeat, erit adæquata.

IV. Prob. ulterius contra Adversarios. In bona divisione nequit unum membrum ab alio dividens sub alio contineri; sed scientia approbationis continetur sub scientia visionis; ergo non constituit membrum distinctum. Min. prob. Objectum scientiæ approbationis, nempe quidquid Deus decrevit positive facere, continetur sub scientia visionis, cum sit vel præsens, vel præteritum, vel futurum; ergo similiter scientia approbationis continetur sub scientia visionis.

Confirm. Si scientia approbationis constitueret tertium membrum distinctum a scientia visionis, deberet addi quartum nimirum scientia improbationis: sicut enim scientia improbationis est, quæ supponit decretum positivum, ita scientia approbationis est, quæ supponit decretum permissivum supponit, & ideo hac scientia Deus solum cognoscit mala culpæ, quæ improbat; sed hoc nemo dixit; ergo &c.

V. Melius ergo discurrimus nos, qui postquam divisimus scientiam divinam in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, subdividimus scientiam visionis, seu, ut alii volunt, scientiam visionis liberam in scientiam approbationis, qua Deus cognoscit ea, quæ decrevit facere, juxta illud Gen. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:* & in scientiam improbationis, qua videt ea, quæ tantum permittit fieri, ut sunt mala culpæ, juxta illud Genes. 6. v. 5. *Videns autem Deus, quod, multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum &c.*

§. VI.

Satisfit objectionibus.

VI. PRimo objicitur. Omnis scientia Dei est intuitiva; ergo omnis scientia Dei est visionis. Ant. prob. Omnis scientia Dei est clara, & evidens sui ipsius in se; ergo omnis &c.

Resp. negando antec. ad prob. dist. anteced. clara rei vel existentis, vel non existentis, conc. antec. rei præcise existentis, nego antec. & consequentiam. Quia cognitio intuitiva est cognitio clara quidem, sed rei existentis. Cum autem quædam a Deo cognoscantur, quæ nullo modo existunt, neque in se, neque in Deo, non omnis scientia Dei, etsi clara, est scientia intuitiva, seu visionis.

VII. Replicabis. Si aliqua scientia Dei non esset intuitiva, & circa existentia, maxime scientia, quam habet de possibilibus; sed hæc quoque est intuitiva; ergo &c. Min. prob. Scientia dicitur intuitiva, quoties ratio formalis, seu medium cognoscendi est existens; sed ratio, & medium cognoscendi creaturas possibiles est sua essentia, ut vidimus, quæ est existens; ergo &c.

Resp. neg. min. ad prob. neg. maj. Ratio enim intuitivi, vel abstractivi non pensatur ex ratione, vel medio cognoscendi, sed ex præsentia, vel absentia objecti, cogniti exercita. Quo fit, ut eadem cognitio attingens diversa objecta coordinata; respectu unius dicatur intuitiva, si sit existens, respectu alterius abstractiva, si existens non sit. Sic cognitio Angeli, qua contemplatur in Sole eclipsim futuram Solis, respectu Solis est intuitiva, respectu vero eclipsis futuræ est abstractiva.

VIII. Secundo objicitur. Scientia approbationis; & scientia visionis exprimunt diversos respectus. Scientia enim approbationis exprimit respectum ad voluntatem approbantem, scientia autem visionis ad existentiam objecti; ergo &c.

Resp. diss. ant. diversos respectus, coordinatos tamen conc. antec. disparatos, nego antec. Respectus ergo ad voluntatem divinam non est disparatus respectu scientiæ visionis circa creaturas, sed in illa includitur necessario. Quod decretum, si sit positivum, erit scientia visionis approbationis; si vero sit tantum permissivum, erit scientia visionis improbationis.

§. III.

An Scientia Visionis, & Simplicis intelligentiæ sint duo attributa virtualiter distincta?

IX. DIco. Scientia Dei non dividitur in Scientiam Visionis, & Simplicis intelligentiæ, tamquam in duo attributa virtualiter distincta. Est communis præcipue apud Thomistas. Traditur enim a D. Th. *qu.* 2. *de Verit. art.* 9. *ad* 2. ubi hæc habet: *Scientia simplicis notitiæ, & visionis nullam differentiam important ex parte scientis, sed solum ex parte rei scitæ. Dicitur enim scientia visionis in Deo ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur. Unde per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum, quæ sunt vel præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis notitiæ, ut supra probatum est, est etiam eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, nec alio modo scit Deus ista, & illa. Unde non est ex parte scientiæ, quod Deus infinita non videat, sed ex parte ipsorum visibilium, quæ non sunt.*

Ex his probo assertum. Quæ distinguuntur solum ex parte scitorum, & non ex parte scientis, non sunt duo attributa Dei virtualiter distincta; sed scientia visionis, & simplicis notitiæ differunt tantum ex parte scitorum, & non ex parte scientis; ergo &c. Min. prob. quod enim Deus scientia visionis non videat infinita, vel alium mundum possibilem, ex eo præcise nascitur, quia non sunt: si enim essent statim a Deo eadem cognitione viderentur.

X. Rursus, Scientia visionis creaturarum, & simplicis notitiæ exprimunt solum duas terminationes divinæ scientiæ ad objectum secundarium; sed diversitas, quæ sumitur ex objecto secundario, non valet in Deo attributa multiplicare: sicut neque in creatis multiplicat realiter habitus; ergo &c.

XI. Dices. Divina Essentia, ut connotat diversas creaturas, est sufficiens ad distinguendas attributaliter artem, & prudentiam; ergo divina scientia ut connotat res præsentes, distinguitur attributaliter a se ipsa, ut connotante res pure possibiles.

XII. Sed contra. Ideo Ars, & prudentia constituunt duo attributa, quia sub diversa ratione objectiva essentiam divinam respiciunt. Ars nimirum ut rationem factibilium. Prudentia ut rectam rationem agibilium. Aut cognitio existentis, & possibilis nullam in ratione objectiva variationem inducunt, sed solum in esse physico, objecti scilicet existentis, vel non existentis; Quare neque in creatis realiter, aut formaliter distinguuntur: Christus enim eadem visione beata comprehensive cognoscit naturam existentem, & sub ratione quiditatis præscindentis ab existentia, quo præto habet rationem simplicis notitiæ, & sub ratione existentis, quo modo habet rationem scientiæ visionis. Cur ergo Deus eadem simplicissima co-

ma cognitione comprehensiva non cognoscat Omnipotentiam suam, ut causativam in actu primo creaturarum, quo pacto connotat creaturas possibiles, & ut causantem, vel ut determinatam ad illas causandas, & sic non habebit simplicem notitiam, & visionem diverforum eodem actu? Sane eadem cognitio Patris æterni est expressiva essentiæ: attributorum, possibilium, ac etiam futurorum, cum sit omnium expressiva una, & indivisibilis: ergo una pariter, ac indivisibilis Dei cognitio, scientia poterit omnia illa cognoscere.

DUBIUM II.

Quomodo ea, quæ non sunt, sed erunt, aut fuerunt coexistant scientiæ visionis Dei.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

I. CUm ea, quæ non sunt, sed erunt, aut fuerunt, ex dictis, cognoscantur a Deo, immo sint ab æterno cognita scientia visionis, quæ est intuitiva, & consequente rerum existentiam: cumque insuper, quæ erunt, aut fuerunt, in se ipsis non existant in sui duratione; aperitur via celeberrimæ quæstioni, an scilicet existant in mensura superiori, nimirum in æternitate, ita, ut ratione talis existentiæ, non pure objectivæ, sed realis, & physicæ, sint Deo objectum scientiæ intuitivæ, & visionis.

II. Pro hujus intelligentia noto primo, duplicem a Philosophis distingui præsentiam: unam realem, & physicam, quam habent res, dum producuntur, & ponuntur extra suas causas; alteram intentionalem, & objectivam, quam habent in mente cognoscentis, cum enim omnis cognitio fiat, secundum quod cognitum est in cognoscente, debet per sui similitudinem objective sisti, & fieri præsens potentiæ cognoscitivæ, ut ab ea cognoscatur. Sic in iis, quæ non sunt, sed erunt, aut fuerunt, hanc duplicem imaginari possumus præsentiam: unam objectivam, & intentionalem, quatenus sunt in mente divina, ut per divinam essentiam repræsentata: alteram physicam, & realem convenientem eis ratione æternitatis, quæ ratione suæ infinitatis, & invisibilitatis in suo vastissimo sinu ea actu complectatur, ita, ut, si per impossibile ea Deus non haberet in sui præscientia objective, & intentionaliter præsentia, adhuc tamen præsentia illi essent præsentia realia ratione æternitatis, ea continentis, & mensurantis.

III. Noto secundo hanc præsentiam realem in æternitate tribus modis posse nos concipere, & imaginari. Primo, per quamdam anticipatam eorum productionem in æternitate, distinctam ab ea, qua temporanee producuntur, ita, ut Anti-Christus v. gr. concipiatur, ut præsens in æternitate, quasi in illa jam productus sit, & positus extra suas causas. Secundo, per coextensionem ipsius rei temporalis ad totam æternitatem, eo fere modo, quo coextenderetur illi tempus infinitum, si daretur. Tertio, per coextensionem ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua aliquando fient res creatæ præsentes, & existentes.

Certum est, futura non esse Deo in æternitate realiter præsentia primo, & secundo modo; quia Scriptura testatur, omnia incepisse in tempore, & nihil esse ab æterno productum. Solum ergo controversia remanet de tertio modo, nempe an dici possint realiter præsentia in æternitate ratione coextensionis æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua futura, puta Anti-Christus, ponentur extra causas.

IV. Quare quæsitum est: an æternitas, ut actu contineat, & mensuret res futuras, expectare debeat, quod sint positæ extra suas causas, & existentes in propria duratione, se eorum fluxui, & successioni accommodando: eo fere modo, quo pons in medio fluminis positus, vel arbor ad ripam illius plantata, non simul aquas prætereuntes continet, ac mensurat, sed expectat earum fluxum, & transitum: An vero illa ratione suæ infinitatis non expectet, ut eas complectatur, quod fluat tempus, quo illæ res futuræ extituræ sunt, sed præveniat, ac præoccupet, quodammodo anticipando sua infinita continentia, & indivisibili mensuratione illarum existentiam, ita, ut, quæ sibi invicem successive existent, omnia æternitati realiter sint præsentia; ad eum modum, quo esto loca invicem localiter distantia sint, omnia tamen localiter immensurari divinæ sunt actu localiter præsentia; & licet unus locus mutetur, tota mutatio ex parte loci, non ex parte immensitatis; sic esto res creatæ sibi invicem duratione distent, ac una alteri succedat, omnes tamen in æternitate præsentes sine successione sint.

Partem negantem tenent, Durandus, Scotus, Suarez, Vasquez, aliique exteri. Affirmantem vero Thomistæ, nec non alii, etiam ex societate, cum quibus

§. II.

Statuitur assertio, & probatur ex Patribus.

V. DIco. Futura fuerunt ab æterno, & modo sunt Deo præsentia, non solum objective ratione suæ præscientiæ, sed etiam realiter, & physice ratione suæ æternitatis. Hoc asseruit primo, S. August. *enarrat.* 2. *Ps.* 101. ubi ad illa verba *in generationem, & generationem anni tui*: assignans differentiam inter annos Dei, & annos nostros, quorum *omnis dies in hoc tempore idee venit, ut non sit omnis hora, omnis mensis, omnis annus; nihil horum stat: antequam veniat erit, cum venerit, non erit*. Subdit. *Anni Dei æternitas Dei est: æternitas ipsa Dei substantia est, qua nihil habet mutabile; ibi nihil erit præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit, non est ibi, nisi est; non est ibi fuit, & erit: quia & quod fuit, jam non est, & quod erit, nondum est, sed quidquid ibi est, nonnisi est*.

Item *lib.* 2. *q.* ad Simplicianum q. 2. *Quid est enim* (inquit) *præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* ut autem scias, eum ibi loqui de præsentia reali, & non solum objectiva, audi, quæ sequuntur. *Si autem, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud Deum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo; his ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam*. Præcientiam certe a Deo non excluderet S. Doctor, si existimaret, futura esse Deo præsentia objective tantum, & non realiter, quare etiam lib. 5. de Trinit. cap. 16. *apud eum* (inquit) *nec præterita transierunt; & futura jam facta sunt*.

VI. Idem sentit S. Gregorius Magnus. Etenim *l.* 4. *moral. c.* 29. (Edit. Maurinæ) ait: *fuisse, vel futurum esse, æternitas non habet; cui nimirum nec præterita transeunt, nec qua futura sunt, veniunt*. Idem *l.* 16. *c.* 43. & *l.* 20. *c.* 32. *Quomodo* (inquit) *est præscius, dum nulla, nisi qua futura sunt, præsciantur? Et scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne, quod nobis fuit, & erit, in ejus conspectu præsto est; non omne, quod præsens est, scire potest potius, quam præscire*. At quod præsens tantum objective est, & physice futurum præciri dicitur, & non sciri. Ergo S. Gregorius præsentiam asserit futuris apud Deum, non objectivam tantum, sed & physicam.

VII. Idem sentiunt S. Bernardus *serm.* 80. *in Cantica*, ubi immensitati æternitatem comparans: *Loca* (inquit) *omnia continet, & quæque suis ordinat locis nunquam contenta locorum, Tempora sub ea transeunt, non ei: futura non expectat, præterita non recognitat, præsentia non experitur* (caduca scilicet, & fluxa, qualia nos), S. Anselmus *tract. de concord.* præscientiæ Dei cum lib. arb. *c.* 5. *quemadmodum* (inquit) *præsens tempus continet omnem locum, & qua in quolibet loco sunt: ita æterno præsenti simul claditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore... habet enim æternitas suum simul, in quo sunt omnia, quæ simul sunt loco, vel tempore, & quæ sunt diverse in locis, & temporibus*. Et inferius. *Non dico, aliquid nunquam esse in tempore, quod semper est in æternitate; sed tantum in aliquo tempore non esse. Non enim dico, actionem meam crastinam nullo tempore esse, sed hodie tantum nego eamesse, quæ tamen semper est in æternitate. Et quando negamus, fuisse, vel futurum esse ibi aliquid, quod in tempore fuit, aut erit; non asserimus, id, quod fuit, aut erit, nullo modo ibi esse: sed tantum præterito, vel futuro modo dicimus ibi non esse, quod ibi indefinenter est, suo præsenti modo*. Quæ verba valde notanda sunt.

§. III.

Probatur ex D. Thoma.

VIII. OPortuit hoc assertum specialiter ex D. Thoma ostendere, ut obstruatur os aliquibus dicentibus, S. Doctorem nobis esse contrarium. Legatur ergo 1. *hæcin* 1. *p.* q. 14. *art.* 13. ubi habet: *Æternitas tota simul existens ambit totum tempus.... Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia; non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes* (præsentia nimirum objectiva, qua sunt in Ideis Divinis) *sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem: & tamen sunt futura contingentia suis causis proximis comparata*. Quænam quæso est ista præsentialitas, qua futura subduntur divino conspectui, ratione cujus Deus ea intuetur, & respectu Dei futura non sunt, nisi præsentialitas plusquam objectiva? *In Deo non cadit præteritum, & futurum: sed quidquid est in eo, est totum in præsenti æternitati. Nec præteritum, vel futurum in eo verbum significatur, nisi per respectum ad nos*; ait q. 1. de pot. art. 5. ad 2.

IX. Item q. 2. de verit. art. 12. *Tunc* (inquit) *cognoscitur ut futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum: hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam & quamcumque rem contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque est, sicut ordo præsentis ad præsens*. Quod explicat exemplo. In tantum ex transeuntibus successive per aliquam viam non omnes simul nostro intuitui sunt præsentes, quia aliquos una visione, & uno tempore, & alios alia visione, & alio tempore intuemur: si autem *visio tota simul posset existere, simul præsentialiter omnes videret, quamvis non omnes simul præsentialiter transeunt. Unde cum visio divina scientia æternitate mensuretur, quæ est tota simul, & tamen totum tempus includit, nec alicui parti temporis deest, sequitur, ut quidquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut præsens videat: hoc enim, quod a Deo visum est, futurum est rei alteri, cui succedit in tempore, sed ipsi divinæ visioni, quæ non in tempore, sed extra tempus est, non est futurum, sed præsens. Ita ergo nos videmus futurum, ut futurum, quia visione nostra futurum est, cum ipsa tempore mensuretur; sed divinæ visioni, quæ extra tempus, futurum non est. Sicut & aliter videt transeuntes ille, qui est in ordine transeuntium, qui non videt, nisi illos, qui ante ipsum sunt: & aliter ille, qui extra ordinem transeuntium esset, qui omnes transeuntes, simul inspiceret &c.* Hoc eodem exemplo utitur S. D. 1. *p. quæst.* 14. *art.* 13. *ad* 3.

X. Ex

X. Ex prælaudatis D. Th. verbis aperte evincitur, mentem ejus esse, quod futura Deo sint præsentia, non solum objectiva, sed etiam præsentia reali. Primo, quia dicit, ita esse Deo præsentia, ut non sint illi futura, præsentia autem, quæ tollit aliquid esse futurum, non est pure objectiva, sed realis, nam præsentia objectiva optime componitur cum *esse futurum*. Secundo, quia in tantum futura dicit esse Deo præsentia, quia ejus cognitio mensuratur æternitate, quia Deus est extra omne tempus, supergreditur omnia tempora; sed præsentia, quæ ab æternitate pensatur, non est objectiva, sed realis: ergo &c. Tertio, quia illa præsentia: quam statuit D. Thomas in futuris respectu Dei, est talis, ut fundet scientiam visionis, seu intuitivam de illis; sed præsentia requisita ad cognitionem intuitivam est realis, & physica: ergo &c. Quarto, exemplum, quo utitur, id probat: Nam transeuntes per aliquam viam non possunt fieri objective præsentes ei, qui extra ordinem transeuntium positus, omnes simul videret, nisi ei quoque essent simul præsentes physice; quare D. Thom. loquitur quidem de præsentia objectiva, sed, cum loquitur de præsentia objectiva serviente cognitioni intuitivæ, & qua a Deo videntur, non jam ut futura, sed ut præsentia, sic, ut loquatur de præsentia objectiva fundata in præsentia reali, & physica ratione æternitatis.

XI. Hoc aperte expressit 1. *p. q.* 57. *art.* 3. ubi ait, Deum cognoscere futura in se ipsis, non vero in suis causis, *quia Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex, toti tempori adest, ipsumque concludit. Et ideo unus Dei intuitus fertur in omnia, qua aguntur per totum tempus, sicut in præsentia, & videt omnia, pro ut in se ipsis sunt*. Et 1. contra Gen. c. 66. *cum* (inquit) *æterni esse nunquam deficiat: cuilibet tempori, vel instanti temporis præsentialiter adest æternitas. Cujus exemplum utcumque in circulo est videre. Punctum enim inter circumferentias signatum, etsi indivisibile sit, non tamen cuilibet puncto alii secundum situm coexistit simul, ordo enim situs continuitatem circumferentiæ facit. Centrum vero, quod est extra circumferentiam, ad quodlibet punctum in circumferentia signatum directe oppositionem habet. Quidquid igitur in quacumque parte temporis est, coexistit æterno, quasi præsens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum. Æterno autem non potest aliquid coexistere, nisi toti, quia successionis durationem non habet. Quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate intuetur, quasi præsens: nec tamen quod quadam parte temporis agitur, semper fuit existens*. Videatur etiam 3. *contra Gen. c.* 154. *opusc.* 2. *c.* 133. in 1. *sent. dist.* 34. *q. unic. art.* 5. ubi expresse ait, *cum Deus uno æterno intuitu omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua*. Et post aliqua, *Nec tantum videt, hanc rem respectu præcedentis temporis esse futuram, & respectu futuri præteritam, sed videt illud tempus, in quo est præsens, & rem esse præsentem in hoc tempore &c.* Quæ adeo clara sunt, ut cæcutire dicendus sit, qui ea non videat. Videatur quoque *q.* 3. *de ver. art.* 3. *ad* 1. *quod contra objicitur*, ubi ait: *apud Deum non currunt tempora, neque decurrunt, quia ipse sua æternitate, qua est tota simul, totum tempus includit: & sic eodem modo cognoscit præterita, præsentia, & futura, & hoc est, quod dicitur Eccl.* 23. *Domino Deo nostro nota sunt omnia, antequam crearentur*.

§. IV.

Probatur assertum ratione.

XII. PRobo primo sic. Deus vidit futura contingentia, & præterita, quatenus præsentialiter adsunt, & coexistunt æternitati: cui adsunt etiam omnia tempora simul, ut in ea inclusa, & eminenter præcontenta, taliter, ut Deus ea sic videns, intuitive adspiciat, ut ex D. Th. constat; sed præsentia rerum, & temporum ratione æternitatis conveniens, non est præsentia tantum intentionalis, & objectiva: & intuitiva cognitio petit rem præsentem, non tantum objective, sed realiter, ac physice; ergo præsentia, quam habent futura, dum cognoscuntur a Deo, non est solum intentionalis, sed realis, & physica. Maj. supponitur ex D. Th. Min. prob. quia sicut præsentia, quæ convenit ratione cognitionis, est præsentia in esse cogniti, & objectiva: ita præsentia, quæ convenit ratione æternitatis, quæ est duratio, debet esse præsentia propria rei, quæ duratione mensuratur, & propterea realis, & physica.

XIII. Confirm. Sicut divina scientia est infinita in cognoscendo, ita divina æternitas infinita est in duratione: rursus sicut divina scientia invariabilis est, nec successionem admittit, ita divina æternitas tota simul est, & omnis indivisibilitatis, ac successionis expers; sed quia divina scientia infinita, & sine successione est, omnia, quæ successive fluunt, objective adsunt divinæ scientiæ, & ut ea sciat, non expectat, ut in se sint; ergo quia divina æternitas tota simul est, ac successionis expers, omnia, quæ successive eveniunt, ei simul aderunt, præsentia æternitati propria, nec, ut ea actu mensuret, expectabit, ut in se ipsis sint. Consequentia probatur. Ideo primum, quia cognitio fit, non secundum quod cognoscens est in re cognita, sed secundum quod res cognita in cognoscente est, ideoque res cognita in cognoscente est secundum modum cognoscentis, & propterea etsi res cognitæ successionem admittant in se ipsis, si tamen hanc non admittat cognoscens, erunt res cognitæ ab illo sine ulla successione, & simul; atqui omnia tempora, & quæ in tempore successive labuntur, sunt in æternitate, tamquam in ea eminenter inclusa, & contenta: non enim dicitur, æternitatem esse in rebus transeuntibus, sed res quovis tempore transeuntes cum suo tempore esse in æternitate; ergo erunt in æternitate secundum modum æternitatis: & cum successionem non admittat, in illa erunt, eique aderunt, non successive, sed simul.

XIV. Hinc patet disparitas inter æternitatem, & immensitatem: qua paritate utuntur contra nos Adversarii. Etenim per immensitatem res non dicuntur esse in Deo, sed Deus in rebus, eas conservando; unde per immensitatem solum actu est in rebus jam positis extra causas, & præsentibus, non vero in præteritis, & futuris: & sequitur immensitas, etsi infinita, modum & conditionem rerum. Ast per æternitatem Deus non dicitur esse in rebus, sed res in Deo, & æternitate; unde æternitas modum rerum non attendit, sed potius res sequi debent modum æternitatis; & cum in se successionem non admittat, in ea absque successione, & simul debent omnia esse, etiam quæ successive eveniunt.

XV. Immo ex immensitate conficio rationem pro nostra sententia sic. Quemadmodum differentiæ omnes durationis sunt *præsens, præteritum, & futurum*, ita differentiæ virtutis locativæ, seu ubicativæ sunt, *ante*, & *retro*, *sursum*, & *deorsum*, *propinquum*, & *remotum* secundum locum; sed quia immensitas est infinita in linea ubicativa, actu replet, ac simul omnia loca, & omnes locorum differentias, & si aliquam non repleret, non esset in linea ubicativa infinita; ergo quia æternitas est infinita in linea durativa, debet actu, & simul adesse, ac sibi præsentes habere omnes differentias temporum, &, si actu aliquam non haberet, actu non esset in linea durativa infinita. Ex his apparet alia ratio. Nam quare immensitas non se extendat actu ad loca futura, ex eo est, quia præsens, præteritum, & futurum non sunt differentiæ virtutis repletivæ loci, sed virtutis durativæ. Quare immensitas ex vi infinitatis suæ lineæ solum postulat, ut sit simul actu in omnibus locis, quando actu existunt. Æternitas autem ex vi infinitatis suæ lineæ respicit præsens, præteritum, ac futurum, tamquam differentias proprias, unde omnibus adesse debet, omnesque habere simul præsentes.

XVI. Nec valet dicere, infinitatem æternitatis solum petere, ut quantum de se est simul actu coexisteret omnibus differentiis temporum, si existerent, non tamen illis actio simul coexisteret, non ex defectu sui, sed ex defectu creaturarum, quæ simul, & ab æterno non sunt. Sicut arbor ad ripam fluminis plantata, non simul, sed successive coexistit toti aquæ fluenti, non defectu, & fluxu, aut mutatione sui, sed aquæ, quæ non simul arbori adest tota, sed successive, ac fluenter.

XVII. Nam contra est. Si enim æternitas, quia duratio infinita, quantum in se est, amplectitur etiam durationem futuram, puta Anti-Christi, quod hæc non sit actu in se præsens, impedire non potest, quod eam æternitas actu non tangat, & claudat. Sicut, quia vis locativa immensitatis est infinita, & quantum ex se repletiva omnis loci, distantia unius loci ab alio, non impedit, quin omnibus simul adsit. Et si dabilis esset annus, qui simul habens suas partes quantum ex se simul omnes dies complecti posset, nulla esset in diebus illius anni repugnantia, quin in anni initio omnes simul existerent. Ergo cum æternitas ex parte sui sit tota simul, & potens omnia complecti tempora, etsi non sint futura simul, non repugnabit, quin illi omnia simul adsint.

XVIII. Exemplum autem de arbore fixa in ripa fluvii nobis potius favet. Ideo enim arbor illa non simul, sed successive coexistit toti aquæ fluenti per alveum, quia finita est. Cæterum si essent arbor infinitæ magnitudinis, & extensionis, omnibus partibus aquæ successive fluentibus simul coexisteret. Ergo cum æternitas sit duratio infinita, omnibus partibus temporis, esto successive prætereuntibus, actu simul coexistet. Cumque implicet, unum esse alteri duratione præsens, quin & istud non sit illi præsens; quia præsentia unius alteri est relativa, & ideo mutua, & cum futurum, puta Anti-Christus in propria duratione vere existat; si æternitas ab æterno actu adest durationi Anti-Christi, etiam duratio Anti-Christi, & ipse Anti-Christus aderit, & coexistet æternitati.

XIX. Probo secundo, & magis explico, tum rationem præfatam, tum sensum nostri asserti. Æternitas est mensura infinita, indivisibilis, & tota simul: qua infinita est, omnes durationes complecti debet: qua indivisibilis, coexistit tota omnibus rebus successive prætereuntibus: non quidem totaliter, secundum omnem virtualem ejus extensionem, & omnes ejus veluti sinus: sed quasi inadæquate, & secundum continentiam correspondentem cuique durationi particulari. Unde sicut ordo, & distinctio partium corporis humani non impedit, quin anima rationalis tota simul illis omnibus, & singulis, esto non secundum totam sui virtutem, coexistat. Sicut (ut cum D. Th. 1. *contra Gen. c.* 66. diximus) distantia, quam habent puncta, & lineæ invicem in circumferentia, non tollit, quin centrum omnibus illis adsit. Et sicut (ut ait D. Th. *q.* 2. *de veritat. art.* 12. & hac *q.* 14. *art.* 13. *ad* 3.) plures successive transeuntes per viam, esto non sint sibi invicem simul præsentes, sed unus succedat alteri, non impediunt tamen, quin ille, qui ab alta specula omnes simul intuetur, habeat omnes sibi simul præsentes. Ita nec successio, aut distantia in duratione rerum creatarum, quæ diversis temporibus sunt, impediet, quin omnes simul æternitati præsentes sint.

§ V.

Respondetur adversæ opinionis fundamentis.

XX. MItto ea, quæ ex variis Sacræ Scripturæ locis objicere solent Adversarii, nempe solum Deum ab æterno extitisse, & creaturas omnes fuisse in tempore productas.

Hujusmodi enim & similes instantiæ, ex non intelligentia nostræ assertionis procedunt. Non enim, ut superius notavi, dicimus nos, futura ab æterno existere per anticipatam eorum productionem in æternitate, distinctam ab ea, qua in tempore creata sunt: sed quia æternitas divina ratione suæ infinitatis actu continet omnes rerum creatarum durationes, ita, ut in ea non sit præteritum, & futurum, sed totum præsens, ut fusius dicemus.

Mitto etiam exempla, quæ sumuntur ab immensitate divina, & ab arbore in ripa fluminis fixa, quibus Adversarii uti solent contra nos. Ista enim ad rem non esse, & nobis potius favere, §. *prec.* ostendimus.

XXI. Objiciunt ergo primo auctoritatem S. Augustini *lib. 12. de Civit. Dei c. 25.* dicentis, quod si Deus subtrahat concursum suum, res *non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt: Sed ante, dico, æternitate, non tempore.* Et *serm. 11. de verbis Apost.* nunc serm. 26. c. 4. *Eligit tamen* (inquit) *& habet electos, non in natura sua, sed in præscientia sua.* Et D. Isidori *lib. de summo bono cap. 2. dicentis: Si tempora semper essent Deo præsentia; non essent tempora, sed æternitas, quia non mutarentur, sed starent.*

XXII. Respondeo. De mente D. Augustini dubitari non posse, quin nobiscum sentiat, superius vidimus. Cum ergo dicit, creaturas non fuisse in æternitate, antequam fierent, solum vult, non fuisse eo modo, quo sunt, postquam cum tempore productæ sunt, ut colligitur ex intento S. Doctoris: non autem, quod non fuerint in æternitate, ut intra ambitum æternitatis contentæ, & ut terminus ab æternitate connotatus; de quo infra. Similiter ad id, quod additur, noto. D. Aug. non dicere: Deus *habet electos, non in eorum natura*: sed: *non in natura sua*: Quod idem est ac dicere: Deus non habet electos apud se per identitatem, sicut habet suas divinas perfectiones, sed eos habet in præscientia sua; At cum ex Augustini doctrina superius laudata præscientiæ Dei nihil sit futurum, sed omnia præsentia adsint, sequitur, electos quoque in æternitate Deo præsentes esse.

Sanctus autem Isidorus solum vult, quod tempora non sint Deo præsentia adæquate, alias non essent tempora; cum quo bene stat, quod sint præsentia æternitati inadæquate, tamquam in mensura super excedente, & in situ suo omnia complectente. Unde *cap. 6.* hæc docuerat: *Omnia tempora præcedit divina æternitas, nec in Deo præteritum, præsens, & futurum aliquid creditur: sed omnia præsentia in eo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur.*

XXIII. Objiciunt secundo. Si futura fuissent ab æterno physice præsentia in æternitate, modo, & ab æterno fuissent, & essent physice coexistentia æternitati; sed Anti-Christus v. g. non est modo, nec fuit ab æterno physice coexistens æternitati; ergo non est &c. Min. prob. primo. Nihil potest alteri, nec Deo coexistere, nisi quando existit in se, quia unum coexistere alteri, est unum existere, quando alterum: sed Anti-Christus, nec ab æterno, nec modo existit in se; ergo &c. Secundo, Anti-Christus non est existens, quandocumque existit æternitas; ergo non fuit ab æterno coexistens &c. Ant. videtur certum: nam modo existit æternitas, & modo non existit Anti-Christus. Conseq. vero prob. Nam coexistere æternitati est existere contrapositè ad æternitatem, & extra æternitatem, & seorsim ab illa. Tertio, si Anti-Christus coexisteret æternitati; existeret ab æterno: quia idem videtur existere in æternitate, coexistere æternitati, ac existere ab æterno; sed Anti-Christum ab æterno existere, est contra fidem; ergo &c. Quarto, si Anti-Christus esset in æternitate, eique coexisteret, deberet esse in ea productus, vel in ea existens a se, cum nihil habere possit existentiam; nisi, vel illam habeat a se, vel sibi ab alio, creatione, aut productione communicatam; sed Anti-Christus nec existit in æternitate a se, nec existentia sibi communicata; ut est de fide; ergo &c.

XXIV. Respondeo, dist. maj. *modo* sumpto pro nunc æternitatis inadæquate, conc. maj. sumpto pro nunc æternitatis adæquate, nego maj. Quæ modo sunt futura, modo coexistunt æternitati, ly *modo* sumpto, non pro nunc temporis, & propriæ durationis, sed pro nunc æternitatis, non adæquate sumpto, quatenus continet omnes differentias temporis; sed pro nunc inadæquate, prout continet differentiam, in qua extitura sunt. Sunt enim in æternitate, non ut in mensura æquali, sed superiore, & superexcedente; unde *nunc* in illa sunt, sed non pro omni *nunc*. Eo fere modo, quo in mappa Mundi unitim existunt, & ei coexistunt omnes, & singulæ Orbis Provinciæ, & Regna, fluviorum decursus &c. quia tamen tota mappa est mensura excedens quamlibet, licet quælibet actu in mappa contineatur, non tamen in ea est adæquate sumpta, & pro omni parte, & situ, sed pro situ sibi convenientè. Ita futura in *nunc* æternitatis sunt actu, non pro omni, sed pro sua duratione.

Hinc ad primam probat. min. dico, majorem esse veram, quando unum coexistit alteri, ut mensuræ æquali: non vero, si illi, vel in illo coexistat, ut in mensura superexcedente; tunc enim non requiritur, ut mensuratum existat in se, sed quod mensura illa superior extendatur actu, & contineat durationem, in qua mensuratum existet in se.

Ad secundam similiter respondeo, negando consequentiam. Nam esto Anti-Christus non existat in se, quandocumque existit æternitas, existit tamen in æternitate, quandocumque existit æternitas. Licet enim coexistens alteri, ut correlativum æquale, petat existere in se, quandocumque alterum existit, coexistens tamen alteri, ut superexcedenti, hoc non petit: sed satis est, ut existat in aliqua duratione, quæ de facto, & actu claudatur in mensura superiori. Sicut, ut aliqua Provincia existat in mappa, sufficit, ut existat in aliqua parte actu descripta in mappa esto non existat ubicumque existit mappa.

Ad tertiam nego maj. Supponit enim, Anti-Christum existere in æternitate, eique coexistere adæquate sumptæ; quod nos negamus. Sicut enim si daretur una dies, quæ haberet omnes suas partes simul, verum esset, quod hora prandii esset coexistens diei; sed quia non esset coexistens diei adæquate, sed quatenus extenditur ad horam, qua prandere solemus, non esset verum, quod hora prandii ab initio diei esset. Ita in casu.

Ad quartam nego maj. ut enim Anti-Christus existat in æternitate, eique coexistat modo explicato, non sequitur, eum ab æterno vel existere a se, vel habuisse existentiam ab aliquo sibi communicatam, sed sat est, quod ejus productio, & existentia, quæ futura est in tempore, actu ab æterno sit clausa in æternitate, illique præsens.

XXV. Pro hujus intelligentia adverto, res esse præsentes æternitati, quia hoc ipso, quod Deus ab æterno decrevit eas producere pro determinata temporis duratione, manserunt clausæ intra ambitum divinæ æternitatis, ideoque illi præsentes, cum æternitati nihil sit præteritum, aut futurum. Præsentes, inquam, non tamquam terminus divina actione actu immutatus, & productus, sed connotatus: ideoque sicut decretum, & actio divina sunt actu præsentia æternitati, ita & termini ab illis connotati. Unde ex hac præsentia nihil reale ponitur ex parte creaturarum, quod sit extra Deum; sed æternitas, cujus characteristica proprietas est, ut omnibus, in quacumque duratione existentibus, ab æterno actu adsit, omniaque in se habeat sine successione sibi præsentia, quamvis cum successione futura; ea omnia simul intellectui divino præsentat eo modo, quo in illa sunt.

Quia vero æternitas, esto indivisibilis, omnibus tamen durationibus æquivalens est, ideo esto omnia simul præhabeat, non tamen omnia præhabet, ut simul futura, sed singula singulis durationibus, quibus eorum existentia decreta est. Quare sinus æternitatis vastissimus, esto realiter unus virtualiter tamen multiplex est. Et ideo Augustinus *in Ps. 60.* loquens de æternitate: *ibi* (inquit) *unus dies est, & multi dies sunt.* Et in *Ps. 89. Simul* (inquit) *sunt illi omnes dies, ideo sanctum, non enim succedentibus cedunt, ubi non est aliquid, quod non veniendo nondum sit, & veniendo jam non sit. Omnes simul sunt, quia unus est, qui stat, & non transit; ipsa est æternitas.*

XXVI. Tertio objiciunt. Nihil potest existere in duratione aliena, nisi prius existat in duratione propria; sed res creatæ ab æterno non existunt in duratione propria; ergo non possunt ab æterno existere in æternitate, ut in duratione aliena. Major prob. res antequam existat in duratione propria nihil est; sed quod nihil est, non potest existere in duratione aliena; ergo &c.

Confirm. primo. Prius est rem mensurari mensura propria, & intrinseca, quam mensura aliena & extrinseca.

Confirm. secundo. Prius est aliquid existere in se, quam in alio extrinseco. Minus etiam extrinsecus est locus locato, quam æternitas creaturæ; sed corpus in se intrinsece non existens, non potest extrinsece ambiri a loco, & in eo actu existere: ergo a pari.

Confirm. tertio. Si res existeret ab æterno in æternitate, existeret per propriam existentiam; sed hoc repugnat: nam si existeret per propriam existentiam, jam esset producta; ergo &c. Major probatur; nam rem non existere per propriam existentiam est absolute non existere; ergo est non existere, nec in se, nec in alio.

XXVII. Respondetur, dist. maj. nisi prius existat in duratione propria absolute, & ut in re posita, nego majorem, alias duratio propria esset æqualis æternitati, & hæc non esset amplius mensura superexcedens: In duratione propria, ut connotata, & contenta in mensura superiori, conc. maj. Ad hoc autem sufficit, quod aliquando sit existens in propria duratione, & quod pro eadem duratione sit reale. Ex hoc enim, quod existentia sit aliquando in propria duratione existura, jam æternitati, cui omnis duratio est præsens, coexistit.

XXVIII. Ad primam confirm. dico majorem posse admitti, loquendo de mensura extranea æquali, non vero de mensura extranea, superexcedente, qualis est æternitas. Cum enim hæc in suo sinu actu simul contineat, & mensuret omnes mensuras, & durationes inferiores, quæ aliquando sunt, ut res hac mensura extrinseca actu mensuretur, satis est, ut aliquando mensura intrinseca, & propria mensuretur.

XXIX. Ad secundam confirm. respondeo similiter, esse quidem necesse, prius existere in se exercite, quam existere in alio æquali, at non in alio superexcedente, & actu omnem quemcumque durationem ambiente: ut enim existat in isto, sat est ut prius concipiatur determinatum ad aliquando existendum. Neque simile est de loco. Locus enim, etsi sit primum locans, pura Cælum, & proinde superexcedens, non potest extrinsece ambire aliquod corpus, nisi hoc in aliquo loco inferiori intrinsece sit locatum: quia ex una parte finitus est ac limitatus, ex alia vero non nisi ea, quæ in se intrinsece præsentia sunt, locare potest: quia, ut dictum est, differentiæ loci non sunt *præteritum, præsens, & futurum*, sed *sursum, deorsum, distans, remotum &c.* At æternitas ex una parte infinita est, ex alia vero ejus differentiæ sunt *præsens, præteritum, & futurum*. Quare sicut omnia corpora, sive sursum, sive deorsum, sive distantia, sive instantia actu continentur, & sunt loco communi præsentia; ita omnia sive præsentia, sive futura, sive præterita, actu debent contineri, mensurari ab æternitate mensura infinita, & ambiente omnia, quæ quocumque tempore sunt.

XXX. Ad

XXX. Ad tertiam dico, rem ab æterno in æternitate existentem, existere ibi propria existentia, non ut exercita ab æterno habita in se, & in propria duratione, sed ut exercita respectu æternitatis, non ut producta, sed ut connotata suo tempore habenda: hoc enim ipso, quod aliquando futura sit, æternitas actu illam ambit, & facit sibi actu præsentem. Cum vero illa existentia ponetur in esse, incipiet esse in æternitate, non solum connotata, sed ut producta, & ut exercita, non solum modo permanenti, & immobili in æternitate, sed & in propria mensura, modo transeunte, & fluente.

XXXI. Sed dices. Ergo æternitas aliter respicit rei existentiam, dum de facto est, aliter antequam sit, nempe, ut producta, dum in propria duratione est, ut connotatam, & ut producendas, antequam sit; ergo dum est, eam ostendit, ut præsentem, & dum non est, ut futuram.

Respondetur, omissa prima conseq. dist. consequens, ut futuram respectu propriæ durationis, conc. conseq. respectu æternitatis, nego conseq. Sicut enim divina scientia quia infinita, ac invariabilis est, cognoscit rem præsentem ut præsentem, quando in se præsens sit, quam tamen toto tempore antecedente cognoverat ut futuram, & quam cognovit ut præsentem, modo cognoscit ut præteritam, quia jam transiit, tota variatione, & successione se tenente ex parte rerum: cum tamen omnes sive præteritæ, sive futuræ, semper invariabiliter præsentes objective fuerint divinæ scientiæ; Ita divina æternitas, quæ non minus infinita in ratione durationis, fixa, & immobilis est, continet suo sinu, & ambit præsentia ut præsentia, futura ut futura, præterita ut præterita, quando in se præsentia, vel futura sunt, vel præterita, tota variatione, & successione se tenente ex parte rerum, quæ in seipsis continuo fluxu decurrunt; cum tamen omnes sive præteritæ, sive futuræ, semper invariabiliter ei physice præsentes sint: & licet ab æterno nullam dicant relationem præsentiæ, & subjectionis ad Deum, quam solum dicent, cum extra Deum in se præsentes erunt (ut tacita præveniatur objectio) illa tamen relatio præsentiæ, & subjectionis, quam dicent, dum in sua duratione erunt, est simul cum duratione ab æterno æternitati præsens.

XXXII. Quarto. Objiciunt, varia inconvenientia sequi ex nostra sententia. Primum, quod Anti-Christus sit, & non sit in æternitate, sit vivus, & mortuus, sit simul cum Adamo, si verum est, in æternitate simul esse præteritum, & futurum.

Secundum, quod nulla res possit in tempore ex nihilo produci, cum supponatur jam in suo esse physice ab æterno.

Tertium, quod in æternitate dentur infinita actu præsentia, nempe cogitationes, quas Angeli elicient per totam æternitatem: quæ, cum infinitæ sint in potentia, in æternitate essent omnes simul præsentes.

Quartum, quod futura pari modo sint Angelo præsentia, cum ævum, quod est mensura illius, sit totum simul, sicut æternitas.

Quintum, quod tollatur libertas arbitrii creati: cum enim actus omnes liberi ab æterno sint in æternitate cum omnibus circumstantiis, quas habebunt in tempore, non erit in potestate liberi arbitrii ea ponere, vel non ponere, aut alio modo, quam ibi sunt.

XXXIII. Respondeo, hæc omnia deduci ex prava nostræ sententiæ intelligentia. Quare ad primum dico, quod hæc propositio *Anti-Christus non est in æternitate*, falsa absolute est, quia ly *non* facit sensum, quod nullo modo sit in æternitate, cum tamen in ea sit, quatenus connotat, & continet tempus futurum, esto non quatenus continet præsens, & præteritum. Sic in eadem æternitate erit Anti-Christus vivus, pro ut continet tempus, quo erit in se existens: erit quoque in eadem Anti Christus mortuus, si connotetur tempus, quo Anti-Christus erit præteritus. Simul etiam in æternitate præsens erunt Adamus, & Anti-Christus, quia æternitas indivisibili actu coexistit tempori Adami, & Anti-Christi; Adamus quidem, ut æternitas tangit tempus, quo erat Adamus: Anti-Christus vero, ut eadem æternitas tangit tempus, quo erit Anti-Christus, sicque in eadem æternitate coexistent correspondentias ad diversa tempora, quæ simul in ea sunt, possunt simul esse existentia, & ejus carentia, generatio, & corruptio: non tamen inter se, nec respectu ejusdem: ratione divinæ æquivalentiæ, sicut eidem centro secundum diversas virtualitates adsunt omnes lineæ, quæ in circumferentia, & inter se distantes sunt. Quæ omnia velut clavis sunt, qua nostræ sententiæ intelligentia aperitur: quare in similibus instantiis committitur fallacia, quam vocant *accidentis*.

Ideo non valet arguere, Adamum, & Anti-Christum coexistere invicem, ex quo coexistant in tertio, nempe in æternitate. Valeret quidem, si coexisterent in æternitate, vel adæquate, vel secundum eamdem æquivalentiam, non vero, si in ea coexistant (uti de facto est) solum inadæquate, & secundum diversam æquivalentiam: Adamus enim est in æternitate, ut correspondet tempori præterito, quo Adam fuit: Anti-Christus vero in eadem æternitate est, sed ut æquivalet, & continet durationem illam futuram, in qua Anti-Christus erit. Sic, licet omnes lineæ in eodem centro unitæ sint, non sequitur, eas unitas, ac indistantes esse inter se in circumferentia, quia in eodem centro inadæquate, non adæquate sunt.

XXXIV. Ad secundum dico, existentiam rerum in æternitate non tollere, quin in tempore producantur ex nihilo. Tum quia existentia in æternitate est omnino extrinseca rebus, quæ non tollit, quin in se nihil sint, nec in ea sunt ut actu productæ, sed ut suo tempore producendæ. Tum quia, cum res in se producitur, non producitur ex esse, quod habet in æternitate, sed ex non esse, quod habet in ea: quia sicut tempus, in quo habet esse, semper in æternitate est, ita in eadem semper est tempus, in quo habet non esse; Unde sicut in nostro tempore verificatur, quod est productio rei ex non esse, ita in æternitate est productio rei ex non esse.

XXXV. Ad tertium dico, quod sicut illæ infinitæ cogitationes Angelorum sunt per nos realiter præsentes æternitati, ita per Adversarios omnes simul sunt objective præsentes divinæ cognitioni; ergo si non est inconveniens, dari infinitum in actu in divina scientia, neque erit, dari in divina æternitate: vel si non sunt infinitæ in actu, etiamsi omnes simul sint in divina cognitione, nec erunt infinitæ in actu, etiamsi omnes simul sint in æternitate. Et Jure, nam sic sunt actu omnes simul, sive in divina scientia, sive in æternitate, ut non desinant esse futuræ, una post aliam in suis durationibus; ergo sic omnes simul sunt, ut non desinant esse infinitæ tantum in potentia, quamvis ex modo, quo continentur in Deo, simul adsint.

XXXVI. Ad quartum nego sequelam. Nam esto ævum sit totum simul subjective, cum non habeat partes successivas, & sit duratio perfectior tempore: non tamen simul continet hodie & cras, & differentias temporis, cum sit duratio finita. Secus est de æternitate, quæ non solum est mensura perfectior, sed & superior, in qua inferiores durationes debent contineri, sicut earum esse in essentia divina continentur.

XXXVII. Ad quintum dico, idem inconveniens proferri posse contra scientiam. Nam sicut actus omnes liberi ab æterno sunt in æternitate cum omnibus circumstantiis: ita sunt in divina scientia sciti; ergo si non est in potestate liberi arbitrii ea ponere, vel non ponere, aut alio modo, quam in æternitate sint, nec etiam erit &c. alio modo, quam in scientia sint. Itaque dico, quod actus sunt in æternitate eo modo, quo ponendi erunt in tempore: sunt enim in æternitate, quatenus continente differentiam temporis, in qua erunt, & eo modo, quo erunt: quare si libere ponendi erunt, in æternitate libere existent: & ad summum sequitur, ea infallibiliter futura in tempore, sicut sunt in æternitate, sicut eo modo infallibiliter erunt in tempore, quo sunt in divina scientia; ex quo infertur solum necessitas aliqua in sensu composito, & consequens, quæ non officit libertati, non autem antecedens, & in sensu diviso. Videndus est D. Th. hac *q. 14. art. 13. ad 3.* Sed de hoc infra.

Superesset hic inquirere, an hæc præscientia futurorum in æternitate conducat ad divinam scientiam. Sed de hoc agemus infra, agentes de scientia futurorum contingentium absolutorum.

DUBIUM IV.

An scientia Dei sit causa rerum, & quomodo?

§. I.

Quæstio certa resolvitur.

I. DICO. Scientia Dei, ut adjunctam habet voluntatem, est actualis causa rerum. Est expressa D. Thomæ hic *art. 8.* ubi ait: *Unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis.* Idem testatur Script. *Psalm. 135. v. 5. qui fecit Cælos in intellectu.* Unde de Verbo, quod est Sapientia Patris dicit *Joan. c. 1. v. 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quare D. August. 15. *de Trinit. cap. 14. Universas* (inquit) *creaturas & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit Deus: sed ideo sunt, quia novit.*

II. Prob. discursu D. Thomæ hoc *art. 8.* Sic se habet scientia Dei ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata, juxta dictum *Sap. 7. vers. 21. Omnium enim artifex docuit me sapientia;* sed scientia artificis est causa artificiorum, ars enim habitus operativus est; ergo &c.

Quod autem scientia divina, ut sit actualis causa rerum, debeat habere adjunctam voluntatem, prob. tum ex Apostolo *Ephes. 1. v. 11.* dicente de Deo, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Tum ex D. Thoma hic. Cum scientia ad opposita se habeat (eadem enim scientia est oppositorum) ut producat determinatum effectum, debet determinari ad unum; sed determinativum scientiæ, seu intellectus est voluntas, ut dicitur *9. Metaph. text. 10.* ergo &c. Et certe si interrogemur, cur Deus potius fecit hunc mundum, quam alium, quem facere poterat, & cognovit? non alia via responderi poterit, nisi dicendo: quia sic voluit; *omnia enim quæcumque voluit fecit.* Psalm. 113. v. 3. Addo; quod divina scientia rerum factiva debet esse scientia practica, ut docet D. Thom. *qæ. q. art. 16.* Sed quod sit practica habet a voluntate eam inclinante ad opus determinatum; ergo &c.

III. Hoc idem demonstrat D. Th. *2. contra Gent. c. 23.* novem rationibus, ex quibus conflatur iste discursus. Primo, & perfectissimo agenti assignari debet primus, & perfectissimus operandi modus; sed hic est operari per scientiam, & voluntatem: agens enim naturale, cum debeat ab alio, nempe ab intelligente, dirigi, sicut sagitta a sagittante, non potest esse agens primum: Insuper non agit cum dominio suorum actuum, nec ejus virtus ad plura specie diversa facienda sese extendit, sed est determinatum ad unum, sicut calor ad calefaciendum; ergo &c.

IV. Dices tamen primo. Scientia Dei est etiam malorum, pœnæ non solum, sed etiam culpæ; sed horum causa esse non potest; ergo &c.

Respondeo ad minorem, respectu malorum pœnæ, privationum &c. quia non sunt per se a Deo intenta, causari a Deo per accidens, ratione alterius boni, per se a Deo voliti, & per se causati: unde D. Thom. *hac q. 14. art. 10. ad 2.*